

Pruina, frigida suâ naturâ, tamen segetes, plantas lactescentes & germinum oculos urat. Nos statuimus, calidas segetum, plantarum & vitium partes à pruinae frigore obsessas conjungere sese, & huic uestioni, quam carbunculatiōnem appellant, causam præbere. *Ros est Meteorum aqueum, ex effluvio crassiusculo, à frigore debiliore collecto, genitum, instar tenuissimarum aquæ guttularum plantarum foliis & floribus adherens. Nebula est Meteorum aqueum, ex effluviis multis, in infima aëris regione excitatis & quodammodo condensatis, genitum. Glacies est Meteorum aqueum, ex effluviis aqueis, condensatis & consolidatis à frigore vehementiori, genitum.* Quæ quidem definitiones cum difficultatem nullam habeant, sine ulteriori explicatione à nobis dimittuntur. Cæterum vulgò ad Meteora aquea etiam referri solent Mel & Manna; sed admodum ineptè. Si enim Mel est Meteorum, cur tantum in foliis, floribus, herbis ac frugibus residet, non verò æquè in graminibus, in lapidibus, in lignis aridis atque aliis? Tutius ergò statuitur esse succus plantarum, qui ab apibus colligitur, & in illarum vesiculis coquitur & mutatur, ut homini in alimentum cedat. Sic etiam statuendum de Manna, esse fructum plantarum,

rum,